

† R. P. Edmundus Declercq (1865–1932)

(Prov. Belg.)



Die 22 Maii 1932, media fere nocte, in domo nostra Tornacensi obdormivit in Domino R. P. Declercq, missionarius mirum quantum populo carus et late per Belgii fines celebratus ac veneratus.

Natus in oppido Rebaix d. 3 Nov. 1865 parentibus christiana fide et pietate insignibus, studia sua gymnasialia apud Patres Societatis Iesu incepit atque in collegio *de la Tombe* nuncupato si-toque ante portas urbis Tornaci absolvit. Novitia-tum nostrum Trudonopolitanum mense Septem-bri 1884 ingressus est, et emissis ibi religiosis vo-tis d. 4 Oct. 1885, Pulchrumiugum se contulit, philosophiae theologiaeque operam daturus. Quae

quidem studia ipsi infirma corporis valetudine valde difficilia sunt red-dita; tamen ad sacerdotium expetitur d. 5 Oct. 1890 pervenit et d. 8 Sept. anni insequentis studiorum domui laetus valedixit, ut vitam missionalem, ardenti studio desideratam, ingrederetur.

P. Declercq semper officium boni pastoris oves quae perierant solli-cite quaerentis et ad ovile amanter reducentis aliorum omnium munerum

splendoribus praetulit. Hinc missionali operi se totum dedit, adscriptus collegiis Montano et Bruxellensi et diutissime Tornacensi. Sensim vires corporis augebantur, quas dein per quadraginta annos indefessus profunde-
bat apostolatu mire operoso mireque fructuoso in centenis paroeciis et communitatibus religiosis. Ipse in ephemeride sua notavit 380 missiones, 112 renovationes, 341 cursus exercitiorum spiritualium, 40 octavas aut novenas, 65 tridua. His adde magnum numerum sermonum particularium.

Itaque pauci missionarii nostri dies viderunt plenos aequae ac P. Declercq, qui nulli quidem laborum apostolicorum generi se subtrahebat, at prae ceteris missionibus paroecialibus habendis indefessus zelum suum manifestabat. Auditoria sive urbana sive ruralia ei pariter familiaria erant, et ubique eum successus eximius sequebatur.

Quaenam huius rei causa? Sane Deus Edmundum singularibus dotibus oratoriis exornaverat, nec quisquam eum e suggestu dicentem audiebat quin commoveretur. Quanta arte ac securitate utebatur voce sua magna! Quanta perspicuitate magnas salutis veritates exponebat, illuminans omnem intellectum! Quanta vi demonstrationis has veritates comprobabat! Neque negligebat « mores oratorios », qui vocantur, et in hominum vitia invehens nihilominus caute loquebatur, ne quemquam offenderet.

Accedebat Patris Declercq eximia bonitas et humanitas, quae quasi in proverbium abiit, unde factum est, ut tam amantem omnes redamarent; ipse vero corda hominum, quae captivaverat, summo Bono dare sagtebat.

Nulla tamen re eius apostolatu maior fecunditas accessit quam iugi eius oratione et spiritu illo precum, quo imbutus erat. Voto se obstrinxerat haud sane facili ad integrum Rosarium Mariale cotidie recitandum, et alios ad colendam excelsam Dei Genitricem, praesertim sub titulo et in imagine de Perpetuo Succursu, fortiter suaviterque impellere non desinebat. Exemplum ab ipso prius datum hanc sacram nostram Iconem in missionibus exponendi et in paroeciis diffundendi hodie complures sodales Provinciae Belgicae imitantur.

Nec silentio praetereunda singularis eius devotio erga S. P. N. Alfonsum; immo quidam confrater ipsi valde familiaris non dubitat asserere se numquam vidisse inter nostrates affectum filialem huic aequalem. Incredibili itaque gaudio P. Declercq repletus est, cum anno superiore ei licuit praecipua illa loca invisere quae S. Fundator noster olim praesentia sua sanctificavit. Ita, cum Scalam pervenisset, exultabundus exclamavit ad socium versus: « Hodie illuxit nobis dies pulcherrimus totius vitae nostrae, neque unquam in terris pulchriorem videbimus! » Opera ascetica et varias S. Alfonsi vitas toties legerat atque relegerat, ut ea penitus cognita haberet. Fieri autem non poterat, quin is, qui tanto amore S. P. N. Alfonsum prosequeretur, etiam Congregationem ab ipso conditam eiusque

Superiores et sodales necnon Institutum Monialium a SS. Redemptore tenero affectu amaret.

Fortis athleta Christi ex hoc saeculo evolavit fractus morbo, qui iam diu eius vitae insidias tendebat. Nihilominus praeliari perseverabat, donec arma ponere coactus est, et exacto cum patientia bimestri magnorum dolorum, hanc vitam mortalem cum immortalitate commutavit die supra nominato.

In humili cruce eius sepulcro imminente iure optimo haec verba S. Pauli inscribi possunt: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona iustitiae.*¹ Utinam nos omnes digni efficiamur, qui desideratissimo Patri Declercq in domibus aeternis consociemur.